De RE ARGENTARIA veteris et medii aevi.

Dissertatio historico-critica,
quam
auctoritate amplissimi philosophorum ordinis,
pro loco in eodem obtinendo,
publice defendet

Carolus Dietericus Hüllmann,
AA. LL. M. — Hist. P.

Respondente
Christiano Theophilo Ferlo,
philologiae cultore, collegii Albertini
praefecto secundi ordinis designato,
contra opponentes
Eduard. Guilielm. ANDERSON, Lituanum,
et
Joh. Theoph. Guil. MAASS, Pomeranum,
theol. cultores.

D. II. Jul. MDCCCXI.

Regiomonti,
typis academicis.

I.

In comparandis commerciorum institutis medii et veteris aevi, haud raro insignem utrorumque similitudinem reperimus, admiratique sumus cum ingenii humani solertiam, quae, iisdem rebus urgentibus, eadem semper consilia cepit, tum sagacitatem mercatorum, qui ubique locorum et temporum plurima negotii sui impedimenta superare sciverunt. In praecipuis hujus rei exemplis *res argentaria* numeranda est; cui animum advertere mercatores videmus, ubi primum gentes, inter quas mercatura quaestuosa fuit, mores exuerunt rudes, et fides inter mercatores valere coepit, sine qua cogitari non potest hoc institutum, nec ulli omnino mercaturae majori locus esse potest. Phoenicibus igitur, quamquam plurium in commerciis utilium rerum auctoribus, inventum illud succurrere non potuit, quippe qui et floruerunt aetate nimis remota, et plerumque commercia exercuerunt cum nationibus parum politis. Quas vero partes in comminiscendis mercaturae auxiliis in medio aevo egerunt Itali, easdem in vetere Athenienses.

Neque enim isti, ut aliae hujus aevi gentes, quae mercaturam magnam faciebant, cum barbaris merces permutarunt, sed maximam partem cum civitatibus graecis, iisque Jonica stirpe oriundis, in Asia minori et in Ponto sitis. Plurimum igitur juvabat eos, negotia cum hominibus habere, qui et propinqui et fide digni erant.

Atheniensium negotiatores usitata et vulgaria argentariorum negotia gesserunt, posita in commutandis pecuniarum variis generibus [1]); duarum vero insuper rerum primi auctores fuisse videntur, quas postea et Romanorum argentarii imitati sunt. Cum nimirum argentarii in pecunia numeranda, solutionibus faciendis, et rationibus conficiendis, quam versatissimi essent, nummulariorum quoque partes susceperunt, ita quidem, ut, pro lucro quodam, mercatorum aliorumque hominum divitum solutiones curarent, ex pecunia apud ipsos deposita. Qui autem pecuniam apud argentarium deponebant, scribere hunc jubebant et nomina eorum, quibus pecuniam redderet, et singulas summas solvendas. Si quis pecuniam depositam alicui assignabat, qui argentario notus non erat, alium quendam huic nominaret necesse erat, cui notus esset, et qui eum argentario ostenderet [2]). Ex his negotiis postea in Italia institu-

1) Isokrates, in trapezitico.

2) Demosthenes advers. Calippum, init.
Excerpt. e Polyb. hist. l. X. (XXXI.) XXI, ed. Vindobon. 1763. T. III. p. 119.

stitutum singulare ortum est, cujus vi solutiones inter homines mercuriales ita fiunt, ut pecunia tabulis seu assignationibus, ejus locum tenentibus, illata, quasi in *gyro* decurrat, raro tamen redditis nummis ipsis, in aerario communi depositis (vocabulo barbaro *Giro-Banken* vocant).

Neque minus alterum negotium ab Atheniensibus inventum esse videtur, e priori profectum, in eo situm, quod, argentariorum opera, mercatores aliique divites *solutiones secum permutabant*, cum eis vel pecunia in locis remotis solvenda erat; vel cum per mare profecturi, propter piratas argentum secum ferre nolebant; vel denique cum in locis peregrinis versantibus eis pecunia ex improviso opus erat. Cum v. c. juvenis quidam ponticus, versans Athenis, pecuniam requireret, eodemque tempore Stratokles quidam, mercator, in Pontum navigaturus esset ad mercimonia emenda, *pecuniam inter sese ambo permutarunt*: mercator videlicet juveni dedit summam pecuniae aliquam, *perscriptione accepta*, qua juvenis pecuniam a patre suo in Ponto reddendam profitebatur, ea quidem lege, ut, si pater solutionem abnueret, Pasio argentarius pecuniam praestaret [3]). Romae non minus hoc negotium postea usu receptum fuit, cum Graecia, et partes Asiae mediae prominentes, Romanorum imperio subjectae essent,

 et

3) Isokrates, l. c.

et proceres cum amicis, in provinciis istis versantibus, commercia haberent [4]).

II.

Negotiatores, de quibus egimus, Athenis *trapezitae*, Romae saepenumero *mensarii*, appellati sunt, propterea quod mensa utebantur in taberna posita, in qua nummos et asservabant et numerabant. Per temporis injuriam, cum Germanorum greges migrantes (minori tamen feritate, quam Romani olim in regiones egregias saevierant) Italiae partem majorem destruxissent, cum aliis nationum cultiorum institutis ea quoque maxima ex parte interiisse constat, quae ad sublevanda commercia pertinent. Neque tamen *perscriptionum* usus plane interiisse, sed inter civitates graecas Italiae inferioris perdurasse, videtur. Amalfitani enim argentarii inter primos referuntur [5]), revertente Europaeorum australium meliori conditione. Jam vero, cum perhibuimus, argen-

4) Cicero, Att. V. 15.: „vereor, ne illud, quod tecum per„mutavi, versura mihi solvendum sit." — XII. 24.: „quae„ro, quod illi opus erit Athenis, permutarine possit, an „ipsi ferendum sit." — XII. 51.: „debere, non esse dig„nitatis meae; perscriptionem tibi placere." — XV. 15.: „velim cures, ut permutetur Athenas, ei (filio) *Eros nume„rabit.*"

5) Consulum et civium Neapol. dipl. d. a. 1190; ap. Brenc-mann. de republ. Amalfitana, p. 17.

gentariis antiqui aevi nomen fuisse *trapezitis* seu *mensariis*, addendum videtur, in medio aevo tabulam, in qua argentarii nummos et asservarunt et numerarunt, raro mensam [6]), sed vulgo *scampnum*, vocatum fuisse; quod nomen et opificum tabulis inditum fuit, in quibus hi res suas venditarunt, v. c. scampna panis, carnis, calceorum. Inde vox barbara orta est *scambiator* [7]).

Pluribus autem modis aevo isto vocabulum *scampnum* corruptum est; occurrunt enim voces: *escambiator* [8]), *escambium* [9]), *cambium* [10]), *cambire* [11]), *cambialis* [12]), *cambiator* [13]), *cambitor* [14]), *campsor* [15]).

III.

---

6) Wenceslai, Bohemiae ducis, dipl. d. a. 1373, ap. Miraemu, opp. dipl. Ed. sec. T. II. p. 1025.

7) Mauhaeus Paris ad a. 1253, p. 753.

8) Id. ad a. 1248, p. 649.

9) Henrici IV., regis Angliae, dipl. d. a. 1412, ap. Rymer et Sanderson, T. IV. P. II. p. 5.

10) Centies.

11) Conradi, archiep Colon., dipl. d. a. 1259, ap. Lünig, Reichs-Archiv, T. XVI. p. 921.

12) Passim.

13) Inscriptio lapidaria in atrio basileae Lucensis, d. a. M. C. XI., ap. Murator. antiqq. Ital. T. II. col. 881. 882.

14) Jura et leges civitatis Argentin. (conscriptt. circa medium sec. XIII.) c. 64., ap. Grandidier. hist. de l'église et des eveques-princes de Strasbourg, T. II. p. 69.

15) Gregorii IX. literae d. a. 1233, ap. Murator. l. c. T. I. col. 889.

III.

Ut priori aetate, florentibus Graecorum Byzantiorum rebus, *inferioris* Italiae commercia quaestuosissima fuere, ita posteriori, post Francorum imperium conditum, cum Gallia Belgiumque reviviisceret, *superioris* Italiae mercatores, vulgo Lombardi vocati, magis magisque commercia exercuerunt; jam inde a seculo septimo proficiscentes usque ad fines Galliae septentrionales [16]), et postea in Belgii et Britanniae mercatibus commercia quaestuosissima facientes.

Ad illustrandum rei mensariae et perscriptionum in medio aevo incrementum, haud parum facit notitia, inter Italiae superioris argentarios, mercatus majores Germaniae, Belgiique et Galliae frequentantes, *societates* coüsse, quae mercatoribus solutiones, in locis remotis faciendas, faciliores redderent. Itaque pecuniarum summae in locos, ubi solvendae erant, permutabantur: i. e. tradebatur argentum ejusmodi consortii argentario, qui socio suo commoranti in eo loco, quo argentum numerandum erat, solutionem delegabat. Ejusmodi societatum quarundam hoc loco fiat mentio. Perhibentur *Scali, Peruzzi, Acciajoli, Bardi, Ammanati,* mercatores Senenses [17]); *Thomasius Spillati* et

16) Dagoberti I dipl. d. a. 629, ap. Bouquet, recueil, T. IV, p. 627, et ap. Miraeum l. c. T. I. p. 241.

17) Gregorii IX. literae laudd.
Matth. Paris ad a. 1240, p. 470.

et *Lapus Huganis*, Florentia oriundi [18]; *Friscobaldi*, indidem Florentia [19]; Galvani, ejusque socii, Lombardi, Valentianis in Belgio habitantes [20].

Perscriptiones denique vocatae sunt *literae* [21], propterea quod sociorum istorum alius ali solutionem per literas mandabat.

IV.

Negotium permutationis pecuniarum per ejusmodi literas in laudatis Europae terris augescere potissimum coepit, ex quo pontifices Romani vectigales has reddiderant. Ad pecunias igitur, tributi solvendi causa, Romam deferendas, primum pontifices usi sunt mercatoribus Italis, mercatus exteros frequentantibus [22]; postea vero, cum in praecipuis urbibus a mercatoribus frequentatis argentarii habitarent, quorum socii in Italiae urbibus

---

18) Honorii IV. dipl. d. a. 1285, ap. Rymer et Sanders. T. I. P. III. p. 5.

19) Eduardi I, regis Angl., dipl. d. a. 1307, ap. eosd. T. I. P. IV. p. 98.

20) Adolfi, regis Germ., dipl. d. a. 1292, ap. Lünig. cod. Germ. dipl. T. II. p. 2423.

21) Johannis, ducis Lotharing. et Brabant., dipl. d. a. 1315, ap. Marquard. de jure mercatorum, lit. H, p. 294.: „solu„tionem facere cum literis vel sine literis.“

22) Gregorii IX. lit. laudd.: „campsorem nostrum.“ Honorii IV. dipl. laud.: „nostrae camerae mercatores.“ Matth. Paris a 1251, p. 710.

urbibus essent, per hos argentum illud profanum Romam permutatum est [23]. Profanum sane; quippe quod ad imperandi cupidinem satiandam flagitarunt viri, qui personam sanctam, quam susceperant, pessime sustinuerunt. Eadem verae conditionis suae oblivio, eadem rerum alienarum moderandarum cupiditas fuit, qua Innocentius IV, saeviens in Fridericum II, imperatorem, argentariis Venetis viginti quinque millia selibrarum (vulgo marcarum) argenti dari curavit, quas Francofurtum a. M. permutarent, Henrico, Thuringiae principi, imperatori opposito, solvendas [24].

V.

Nimis notus est, quam qui hic illustretur, argentariorum mos, pecuniae permutatae summam in perscriptionibus olim non per numerum, sed per pondus, computandi atque edendi, ratione non habita notae monetarum externae, quippe quae modo ad commercia minutiora pertinet. Cujus moris originem sine ulla opera in eo perspicimus, quod prioribus temporibus nummorum fere omnium et aureorum et argenteorum eadem bonitas (nostris *Korn*) fuit, cum neutri cupro mixti essent.

---

23) Eduardi I, regis Angl., dipl. d. a. 1307, ap. Rymer et Sanders. T. I. P. IV, p. 69.
Eduardi III, dipl. d. a. 1377, ap. eosd. T. III. P. III. p. 68.

24) Rohte, Chron. Thuring. ad a. 1246, ap. Mencken. Script. rer. Germ. T. II. p. 1735.

sent. Ut igitur aurum et argentum rude, ita cusum, in solvendis summis majoribus *libratum*, ejusque *pondus* in perscriptionibus, syngraphis, tabulisque, scriptum fuit [25]; qui mercatorum et argentariorum mos ad nostra usque tempora valuit. Neque vero in urbibus aliis alia pondera usitata fuerunt, sed celeberrimarum tunc temporis urbium pondera civitates reliquae receperunt; et cum libra jam dudum in partes duas, vocatas barbare *marcas*,

---

25) Tabulae d. aa. 753. 762, ap. Freher., de Lupoduno, antiq. Alemanniae oppido, p. 20.: „auri libras X, et „argenti pondera quinquaginta quinque." — „Auri li-„bram I, argenti pondera duo."

Caroli calvi edictum Pistense d. a. 864, c. 24, ap. Baluz. capitular. T. II. p. 185.: „libras argenti de novis „et meris denariis."

Aimonis, presbyteri, dipl. d. a. 901, ap. Zapf. monument. anecd. T. I. p. 41.

Conradi III. regis dipl. d. a. 1140, ap. Tolner. cod. dipl. Pal. p. 43.

Friderici II. dipl. d. a. 1232, ap. Schannat. hist. Worm. T. II. p. 110.

Johannis et Ottonis, marchionum Brand., dipl. d. a. 1231, ap. Lenz. Marggraefl. Brand. Urkk. p. 30.

Rudolfi, comitis Habsburg., dipl. d. a. 1264, ap. Herrgott. geneal. dipl. gentis Habsburg. T. II. p. 384.: „sexaginta „marcas argenti, ponderis Turicensis."

marcas, divisa esset [26]), maximam partem per ejusmodi selibras numeratum est. Selibrae autem maxime usitatae fuerunt in Gallia Trecensis, in Germania et Italia Coloniensis et Veneta, (quae ad seculum usque decimum tertium vel quartum eaedem fuere [27]); insuper in Alemannia Veronensis [28]) et Turicensis [29]); denique postea in quibusdam septentrionalibus Europae regionibus Norimbergensis.

VI.

Jam disserendum hic nobis videtur de ratione, qua, in medio potissimum aevo, *aurum comparatum fuerit cum argento.* Priusquam vero in materiam hanc, ad opusculi nostri argumentum explanandum utique necessariam, ingredimur, praemittere quaedam juvabit de *solidis*

---

26) Conradi episc., Chron. Mogunt. sec. XII. ap. Urstis. Germ. historicor. illustrium T. I. Ed. Francof. a. M. 1670. p. 569.: „una libra habet duas marcas etc."

27) Danduli, ducis Venet., pactio cum Balduino comite, anno 1201 facta, in Caroli Rubbi libro: delle monete e dell' institutione delle Zecche d'Italia, T. III., P. II. p. 408.: „propter quae nobis dare debetis LXXXV. millia marcarum „puri argenti, ad *pondus Coloniae, quo utitur terra* „*nostra.*"

28) Berchtoldi Chrellonis testamentum d. a. 1278, ap. Hormayr. Beiträge zur Geschichte Tyrols im Mittelalter, Th. II. p. 183.

29) Rudolfi comitis Habsburg., dipl. laud.

solidis aureis Byzantiis, quorum bonitatem si examines, rationem illam, quae inter aurum argentumque obtinuit, definire poteris. Quibus finitis pauca de duobus aliis antiquissimis nummis aureis adjiciemus, qui in partibus Europae australibus jam ante cusos recentiores Neapolitanorum, Florentinorum, Venetorumque, usitati fuerunt.

Qui dicuntur solidi Byzantii, fere soli fuerunt Europaeorum nummi aurei ad ea usque medii aevi secula, in quibus, excitata per expeditiones in Palaestinam, quas vocant sacras, Italorum commercia creverunt. Solidorum istorum Byzantiorum saepe fit mentio [30]), corrupta interdum voce, quae v. c. in Livonia *Solting* [31]), in Russia *Solotnik* seu *Slotnik*, enuntiata est. Jidem intelligendi esse videntur, cum in terris quibusdam, v. c. in Hungaria [32]), Belgio [33]), nummi aurei memorantur

30) Tritheim. Chron. Hirsau. ad a. 1071, p. 69.
Henrici V., regis Germ., dipl. d. a. 1107, ap. Hund. Metrop. Salisburg. III. 214.
Jura et leges civitatis Argentin. l. c. p. 76.
Statuten des Deutschen Ordens, herausgegeben von Hennig, p. 170. 177.

31) Rationarium quoddam in tabulario publico Regiomontano.

32) Johann de Thwrocz chron. Hungar. c. 45, circa a. 1060, ap. Schwandtner. scriptt. rerum Hungar. veteres ac genuini, P. I. p. 138.

33) Burchardi, episc. Camerac., dipl. d. a. 1124, ap. Miraeum, opp. dipl. et hist. T. I. p. 87.

rantur sine ullo verbo addito. Haud raro denique memoratur in scriptis medii aevi nummus quidam aureus, cui inditur nomen ὑπέρπυρον, *hyperperum* [34]), *iperperum* [35]), *perperum* [36]). Quomodocunque se habeat vocis istius origo et notio, in dubium vocari nequit, solidum Byzantium et hyperperum unum eundemque fuisse nummum aureum, cum et alter pro altero nominetur [37]), et reperiatur narratio quaedam apud duos historicos, quorum alter de solutis quingentis *perperis* [38]), alter de totidem *Byzantiis* [39]), loquitur. Non minus

---

Lietardi, episc. Camerac., dipl. de a. 1135, ap. eund. p. 176.

34) Wilh. Tyrius l. XVIII. c. 22. in gest. dei per Franc. T. I. p. 946.

35) Capitulare nauticum pro emporio Veneto (a. 1255.), c. 56, in Canciani legg. barbarorum antiqq. T. V. p. 355. Bonifacii III, marchionis Montisferrati, dipl. d. a. 1204, ap. Ch. G. Hoffmann. collect. nova script. et monument. T. I. p. 163 : „decem millia *Iperpera* auri.

36) Güntheri hist. expedit. Constantinopol. c. 8. ap. Canis. ed. Basnage, T. IV. p. X.
Folietae hist. Genuens. aa. 1155. 1170. ap. Graevium, thesaur. antiqq. et hist. Ital. T. I. P. I. p. 261. 284.

37) Plano Carpini, ap. Bergeron. p. 49. 58.: „Yperperes „ou Besans."

38) Folieta, l. c.

39) Michaelis Vicensis (de Vico) Chron. varia Pisana, ap. Murator. Scriptt. T. VI. p. 186.

minus Byzantiis pretio pares fuisse videntur nummi, qui dicuntur *Sarazeni* [40].

In australium Europaeorum commerciis, praeter solidos Byzantios, duo insuper nummi aurei usitati fuerunt. Amalfitani enim, quorum floruit respublica ab anno 839 ad annum usque 1130, minutos quosdam cudendos curarunt, quibus in emendis Palaestinae, Syriae, aliarumque Asiae partium mercibus uterentur; quique deinde in Italia inferiori et in Sicilia usu recepti fuere. Proprie quidem hi nummi vocati fuisse videntur *Tarentini;* sed plerumque nominantur *Tareni* vel *Tari.* Pretium habuerunt duorum nummorum argenteorum, qui barbare grossi Turonici nuncupantur [41].

In Hispania denique, Arabibus ibi imperium tenentibus, nummus aureus paulo major, pretio Florentini nummi aurei, cusus est, quem vulgo vocant *Maurabotinum* seu *Morabotinum* [42], *Marabotinum* [43]; unde *Maravedi* Hispanorum procul dubio originem habent.

Jam

---

40) Jacobus Vitriacus l. III., in gest. dei per Franc. I. p. 1125. 1126.

Dipll. d. aa. 1220. et 1253, in tabulario publ. Regiomontano: „*Bisantii Sarracenati.*“

41) Fragmentum libelli „de valore diversarum monetarum,“ ap. Baluz. Miscell. T. I p. 441.

42) Ibid.

43) Matthaeus Paris ad. a. 1176. p. 1.0.

Jam vero propius accedamus ad investigandam rationem, qua medio aevo aurum cum argento comparatum sit. Igitur in ponderandis metallis pretiosis libram tunc jam in duas partes fuisse divisam, quae vocabulo barbaro *marcae* vocantur, supra memoratum est. Marcae autem pars quarta vulgo dicebatur *Vierdung*, ferdo [44]); atque Byzantium, *solidum aureum* pretio parem scriptores perhibent ejusmodi (si dicere fas est) ferdoni argenteo [45]). Meminimus etiam, nos duobus locis Byzantios reperire cum Florentinorum nummis aureis collatos: in altero, quo solidus cum barbare dicto floreno et ejus dimidio [46]), in altero, quo cum uno tantum et ejusdem parte sexta [47]), aequatur. Ac vir quidam rei nummariae peritus, in Russia degens, pluribus aureis

---

44) Günther, hist. expedit. Constant. l. c.

45) Conradi, marchionis Misnensis, comitis Wettinensis, dipl. d. a. 1127, in Chron. montis sereni (Lauterberg sive Petersberg prope Halam Sax.) ap. Mencken. scriptt. rer. Germ. T. II. p. 169.: „unum Byzantium auri, vel fertonem „argenti.“

Günther l. c.: „nummum aureum, qui Perperum vocari „solet, ferdoni, id est, quartae parti marcae unius, aequi„valens.“

46) Fragment. libelli laud. „de valore divers. monet.“ l. c.

47) Marino Sanuto, in gest. dei per Franc. T. II. p. 25. „By„zantii veteres tres, qui sunt floreni auri circa tres cum „dimidio.“

aureis Byzantiis accuratius statera examinatis, medium eorum pondus septuaginta granorum reperit [48]. Intelligatur hic autem pondus pharmacopolarum Norimbergensium, quo, ut in Germania, ita in Russia, omnes pharmacopolae utuntur [49]. Ejusmodi ponderis selibra (marca) continet 2880 grana: igitur quartam ejus partem conficiunt 720. Itaque cum 70 grana auri puri (quod videlicet *solidi Byzantii pondus medium* est) pretio paria fuerint 720 granis argenti puri (i. e. *ferdoni*): aurum in regno Byzantio ita comparatum fuit cum argento, ut illius pars una aequaretur hujus $10\frac{2}{7}$ partibus ($70 : 720 = 1 : 10\frac{2}{7}$). Vigente Romanorum republica, seculo ante Christum natum secundo, auri pars una idem valuisse videtur, ac decem argenti [50]; quod si fuerit, temporibus insecutis ratio inter aurum et argentum parum mutata est; (primum 1 : 10, deinde $1 : 10\frac{2}{7}$). Verum in Germanicis Europae regnis alia inter haec metalla obtinuit ratio: fuit enim 1 : 12, in Francia et occidentali [51]) et orientali;

---

48) (Krug) Zur Münzkunde Rufslands, p. 126. seqq.

49) Schlözer, Münz- und Bergwerks-Geschichte des Russischen Kaiserthums, p. 9.

50) Livius l. XXXVIII. c. 11.: „pro argenteis decem aureus „unus." (Utrisque, ut videtur, cupro nondum mixtis).

51) Caroli Calvi edictum Pistense d. a. 864, c. 24, ap. Baluz. capitular. T. II. p. 185.

tali [52]); quod quidem conjicere licet, cum neutrum metallum cupro mixtum esset. Itaque in his terris auri pretium auctum, argenti imminutum fuit.

VII.

Rei argentariae antiquiorem conditionem ex praecipuis momentis considerare, nec ullam rem omittere cupientes, quae vel ad illustrandum vel ad amplificandum libelli hujus argumentum valeat, de *juribus quoque et institutis quibusdam* agamus, quae, in Germania olim usitata, ad materiam nostram pertinent. Nummorum in hoc regno cudendorum jus priori quidem tempore non nisi penes reges fuit; hi tamen, inducti causis admodum notis, facile idem cum principibus et episcopis communicarunt, qui in urbibus mercatura celebribus quaestuosum hoc jus exercerent. Lucrum autem ex jure isto redundans prioribus medii aevi seculis nondum in eo positum fuisse videtur, quod principes cuprum argento immiscerent, majusque, quam verum, monetae pretium statuerent; sed cum, pro imperfecto illius temporis et statu commerciorum et modo solvendi, mercatorum consuetudo esset, argentum rude ad monetam afferre signandum; pars quaedam argenti vel potius

52) Hillini, archiepisc. Trevir., dipl. d. a. 1163, ap. Guden. cod. dipl. T. II. p. 16.: „denarius aureus, vel duodecim „argentei.“

potius nummorum cusorum obtigit iis, qui cudendi jus exercebant [53]). Neque enim ad fiscum principis commodum hoc pervenit, sed principes, ut multos alios reditus, ita hos quoque ministris quibusdam domesticis concesserunt. Qui ministri monetarii, ut vulgo dicuntur, cum lucri cupidine magis magisque flagrarent, jus suum *ad rem usque mensariam* extendere, hujusque quaestum provinciae suae vindicare, studuerunt. Itaque privilegia sibi compararunt, quorum vi argenti et auri venundandi emendique auctoritas illis solis tribuebatur; nec mensariorum cuiquam in posterum hoc negotium exercere licuit. In urbibus maxime notis, quarum monetariis ejusmodi privilegium datum est, numerantur Vindobona [54]), Ratisbona [55]), Wormatia [56]), Colonia

53) Pipini regis Capitulare d. a. 755., c. 27. Ejusd. Capitul. d. a. 756. c. 7.

54) Leopoldi, ducis Austriae, dipl. d. a. 1198, ap. Lazium, Vienna Austriae, p. 75.
Rudolfi I. regis dipl. d. a. 1278, ap. Lambacher. Interregnum, p. 156. 161. 163.
Alberti III, ducis Austriae, dipl. d. a. 1368, ap. Rauch. scriptt. rer. Austr. T. III. p. 101.

55) Jura eorum, qui Ratisbonae nummis cudendis praefuerunt, ap. Hund, metrop. Salisburg. T. I. p. 180.

56) Henrici regis dipl. d. a. 1234. ap. Schannat. hist. Worm. cod. probatt. p. 118.

Colonia Agrippina [57]). Quare ad praesens usque tempus in Germaniae quibusdam urbibus stirpes nobiles sunt, oriundae ab illis ministrorum domesticorum familiis, quae rei mensariae quaestum exercent, v. c. Francofurti a. M. *Palmstörffer et Humbrecht* [58]).

Raro autem partem aliquam amplam rerum domesticarum medii aevi exponere et enarrare possis, quin in certamen incidas insigne, inter civium pecunias et principum jura exortum. Cujus certaminis exemplum haud exiguum cernitur in re mensaria, ad quam auri argentique emtio et venditio maxime pertinuit. Itaque urbium commerciis ditissimarum cives a regibus, qui eorum argenti semper indigebant, jus quoque, maximam illam rei argentariae partem exercendi, impetrarunt. Ne tamen nummos cudentium jus, quod hi pro privilegio habebant, nimis laederetur, reges ea lege jus concesserunt civibus, ut mensae argentariorum non essent in vicinia aedificii, in quo principis nummi signabantur; cujus rei exempla urbes Lubeca [59]) et Hamburgum [60]) suppe-

---

57) Conradi, archiepisc. Colon., dipl. d. a. 1259, ap. Lünig, Reichs-Archiv, T. XVI. p. 921.: quicunque civis Colonien„sis pro mercibus suis argentum acceperit, illud non alias, „quam ad monetam nostram Coloniensem, cambire seu pro „denariis vendere debet."

58) Kirchner, Geschichte von Frankfurt a. M. T. I. p. 539.

59) Friderici I. dipl. d. a. 1187, ap. Willebrand. Chron. Hans. I. p. 30.

60) Ejusd. dipl. d. a. 1189, ap. Lambec. origg. Hamburg. p. 25.

suppeditant. Ut enim aliorum mercatorum, quorum quaestus ejusdem generis erat, ita argentariorum mensae in eodem urbis loco positae fuerunt [61]). Ubi autem nulla episcopi sedes, igitur causa legis laudatae non aderat, jus absolutum datum est, ut Francofurti a. M. [62]). Venedorum et Belgarum principes, qui regibus non utique tali modo subjecti erant, quali Germanorum reliquorum, civibus urbium suarum, v. c. Rostochii [63]), Lovanii [64]), sua ipsorum auctoritate ejusmodi privilegia tribuerunt. Plurium denique civitatum negotiatores idem jus assecuti sunt in exteris etiam urbibus exercendum; v. c. Ratisbonensibus auri com-

---

Adolfi, comitis Holsat. et Schauenburg., dipl. d. a. 1190, ap. eund., rer. Hamburg. l. II. p. 3.

61) Jura et leges civitatis Argentin. c. 64., l. c. p. 69.: „in lo„co, ubi cambitores sedent."

Stellae annales Genuenses, ap. Murator. scriptt. rer. Ital. T. XVII. p. 1164. 1256. 1257., platea nummulariorum, „quae *Bancorum* vocata est."

62) Ludovici regis dipl. d. a. 1346, ap. Orth, von den Reichsmessen zu Frankfurt a. M. p. 677.

63) Henrici, principis Magnopol., dipl. d. a. 1325, ap. Lünig, Reichs-Archiv, T. XIV., sect. II. p. 686.

64) Wenceslai, Bohemiae ducis, et Johannae, dominae Lotharing., Brabant., cet., dipl. d. a. 1373, ap. Miraeum, l. c. T. II. p. 1025.

mercium licuit Vindobonae [65]), Norimbergensibus Nördlingae et Wörthii ad Danubium [66]); omnibusque Germaniae mercatoribus Antwerpiae et Bergae ad Somam [67]) rei omnis mensariae actitandae facultas fuit.

VIII.

Itaque temporis successu, cum in pluribus Europae australis et mediae civitatibus negotiatores essent, qui, licet non socii, tamen fidem sibi vicissim haberent, invaluit mos, ut mercatores, adjuvantibus his magnarum civitatum negotiatoribus, *debita sua secum permutarent.* Qua quidem in re continetur negotium, quae apud nostrates *arctiori sensu res mensaria* dicitur.

In scribendo autem de re mensaria libello si doctissimi *Martens*, auctoris egregie ea de re conscripti libri, mentionem non faceremus, facile aliquis existimare posset, nobis ignotum esse opus, quod ad quaestionem nostram multum faciat. Verum alia viri incliti, nostra alia est provincia: illius enim liber ad originem *juris circa syngraphas*, nostrum vero opusculum *omnino*

65) Otachari, ducis Styriae, dipl. d. a. 1190, ap. Scheid, origg. Guelf. T. III. praefat. p. 30. 31.

66) Friderici II. dipl. d. a. 1219, ap. Tolner. cod. dipl. Pal. p. 68.

67) Johannis, ducis Lotharing. et Brabant, dipl. d. a. 1315, l. c.

nino ad rem argentariam, ejusque in vetere et medio aevo conditionem, spectat. Neque tamen a proposito nostro prorsus aliena est quaestio de *origine syngrapharum*, *severarumque de istis legum*; consuetudinem enim Germanorum medii aevi memorabimus, ex qua legum ista severitas nobis orta esse videtur.

Paucae fuerunt majores Germaniae urbes, quarum incolis non inoleverit opinio, singulas civitates quasi familias esse, quarum singulos cives pro civibus universis, tamquam cognatos pro cognatis, invadere et urgere fas sit. Itaque si quis in extranei civis aere alieno erat, nec habebat, unde solveret, vel si in solvendis rebus creditis negligentior erat, mos fuit, ut creditor civem qualemcunque ex debitoris urbe oriundum, quem posset, ubi ubi caperet, captumque tamquam obsidem retineret, vel ejus merces auferret, donec debiti solutio facta esset. Cujus crudelitatis notitia cum potissimum colligenda sit e pactionibus, inter civitates de ea tollenda factis: duarum ejusmodi tabularum mentionem facere nos oportet, ab *Abrahamo Retberg*, mercatore Bremensi, quem amicum colimus, nobiscum communicatarum; quarum in utraque moris istius feri interdicendi promissio civibus Bremensibus datur: in altera ab urbe Colonia Agrippina [68]), in altera ab Hannovera

68) Judicum et consulum Coloniensium dipl. d. a. 1258, in prolusione Johannis Philippi Cassel, d. a. 1767, cui titulus est:

vera [69]). Tametsi vero sensim ubique legibus cautum fuit, ne mos iste crudelis permaneret, multi tamen in perversa opinione, cujuslibet civis, tamquam sponsoris pro debito alieno, invadendi perstiterunt. Cujus rei testimonium continet lex quaedam insignis, olim vigens in Flandriae civitatibus, atque in favorem Germaniae mercatorum lata, quae uniuscujusque urbis cives ad unum omnes solvendae pecuniae obligabat, si ejusdem urbis mensarius vel negotiator summam, quam

---

est: „Urkunden von etlichen Verträgen, welche die Stadt „Bremen zum Besten ihrer Handlung mit etlichen beson„ders Hanse-Städten, aufgerichtet. — Einladung zu einer „Feyer der Deutschen Gesellschaft," p. 4.; „Statuentes, „quod, quicunque ex nostris civibus mutuum concesse„rit, vel debitum crediderit alicui civi Bremensi, inde „non possit neque debeat *alium arrestare, aut pignora „alia propter hoc capere*, nisi rei et debitoris tantum„modo principalis; ne propter hujusmodi pignorum cap„tiones nova in posterum altercacio vel discordia re„surgat."

69) Consulum Hanoveran. dipl. d. a. 1301, ap. eund. p. 7.: „decrevimus, quod nullus burgensium nostrorum possit „vel debeat cives Bremenses vel nuncios suos, aut bona „ipsorum, arrestare, vel aliquo modo alio impedire *pro „debitis alienis*, nisi prius manifestatum esset dominis „consulibus Bremensibus, et aliis bonis hominibus, quod „creditori fuisset in civitate Bremen justicia denegata."

quam perscriptio posceret, solvere non posset [70]. Verum cives isti, in causis civilibus mox sui ipsi judices, rigore legis offensi, negotiatorem unumquemque ad perscriptionibus satisfaciendum summa gravitate coëgisse videntur. Quanta autem fuerit Belgii mercatorum vis ad mercaturae disciplinam constituendam, praecipue quod attinet ad literarum commercium, pecuniarumque solvendarum rationem, non est, quod memoremus. Quam ob rem in his rebus originem severarum de syngraphis legum potissimum quaerendam esse statuerimus; qua quidem ratione demum *syngraphae* e priorum temporum *perscriptionibus* profectae sint.

---

70) Ludovici, comitis Flandrens., dipl. d. a. 1360, ap. Lünig, cod. Germ. dipl. T. II. p. 2094.

END OF REEL PLEASE REWIND